

06

A

970





Curfus Philosophici

DISPUTATIO VI.

De

ENUNCIATIO.

NIBUS

PROPOSITA

In Alma VVitebergenfi Aca-
demia

PRÆSIDE

Dn. IACOBO MARTINI;

Profess. Log. & Phil. Pract Publ.

Respondente

JOANNE SCHVÆGERO

Villaco-Carinthio.

*Ad diem 3. Januarij, loco &
horis consuetis.*



VVITEBERGÆ

Typis Johannis Gormanni, Anno 1616.





V I R I S

Reverenda dignitate, pietate ac eruditione excellentissimis,

Dn. M. Iohanni Shrödero, }
Dn. M. Georgio V Vernerio, } Inclytæ Reipub. Norimbergensis concionatoribus primarijs.

Dn. M. Nicolao Schram- }
mio ad D. Jacobi. }
Dn. M. Christophoro Leib- }
nitz ad S. Francif. } Concionatoribus ibidem vigilantissimis.

Dominis promotoribus ac Fautoribus suis, omni observantiæ cultu æternum prosequendis.

UT ET

Amplissimo, splendore generis, virtute, multarumq; rerum usu præstantissimo Viro,

Dn. Bartholomæo Viatis, Seniori,

Florentissimæ Reipublicæ Norimbergensis civi primario, Majori Senatui Adjuncto dignissimo, Foroq; Mercenario Præfecto spectatissimo. Domino Fautori & Patrono meo multis nominibus colendo.

ET

Dn. M. Guilhelmo Schwægero Pastori

Vecklafori, ac fratri suo charissimo.

Hocce studiorum suorum Tyrocynium

Debitæ observantiæ & gratitudinis ergo, humiliter offert & consecrat.

Joannes Schwæger Respondens.



Cursus Philosophici
De
ENUNCIATIONI-
BUS.
DISPUTATIO VI.
Continuatio.

DE principijs Syllogisticis simplicioribus ac remotioribus, ex libro κατηγοριῶν Aristotelis haecenus: sequitur ut complexæ quoq; sive composita, nempe Enunciationes, ex libro ejusdem Philosophi nostri, qui περὶ τῆς ἐρμηνείας inscribitur, breviter repetamus & examinemus.

THESES.

I. Ut autem rem ex veris suis fundamentis eruamus, sciendum initio est, quatuor esse, quæ se mutuo consequuntur: 1. πράγματα Res. 2. τὸ νόημα cogitatio sive conceptus, 3. ἡ φωνή, vox 4. γράμματα sive γραφόμενα, literæ sive scripta.

II. Fundamentum igitur primum, sunt τὰ πράγματα sive Res, quæ extra mentem existunt, menti verò obijciuntur, unde oriuntur νοήματα sive conceptus, qui sunt imagines rerum in mente expressæ: Hos sequuntur φωναὶ voces, quæ sunt imagines vel potius notæ cogitationum sive νοημάτων: juxta voces tandem formantur τὰ γράμματα sive γραφόμενα: quæ & vocum & sensorum mentis Symbola sunt.

A 2

3. Ut

III. Ut autem res sunt apud omnes homines eadem: sic quoq; νοήματα sive mentis sensa: & contra, ut voces significant, non sua natura, sed ex instituto: sic quoque scriptura non apud omnes est eadem.

IV. Ex hisce vocibus eorumq; signis fit ἐπισημεία sive interpretatio: quippe quæ nihil est aliud, quam explicatio conceptus per voces articulatas.

V. Ἐπισημεία perfectior est oratio, quæ ex vocibus simplicibus componitur: quæ verò non omnes utiles sunt Logico & necessariae, sed duæ omnino NOMEN ET VERBUM: Neque verborum omnis modus, sed solus indicativus modus.

VI. Cur alios modos optandi, imperandi &c. respuat, causa est, quia unico modo Indicativo affirmatur, & negatur, & verum & falsum concipitur: quo tandem ultimus Logicæ finis acquiritur.

VII. Nomen est vox significans ex instituto sive tempore, cujus nulla pars significat separatim.

VIII. Verbum est quodad significat tempus cujus nulla pars significat separatim.

IX. Primum utrunq; dividitur, in Nomen & Verbum, ac deinde in casum Nominis, & casum Verbi: Nomen & Verbum, sunt voces rectæ Casus sunt, utriusq; inflexiones à primâ origine rectæ vocis deductæ.

X. Deinde utrumque dividitur in Finitum, & Infinitum.

XI. Finitum est, quod aliquid certum significat, ut, homo aquila: currit, volat. Infinitum, quod nihil certi significat, ut non homo omnia complectitur, quæ sunt præter hominem: sic Est non currens.

XII. In Logicis Verbum EST non accensetur verbis; sed est verbalis copula: nisi quando absolutè ponitur, & rei existentiam dicit: ut Rosa est. Homo est.

XIII. Ex Nomine igitur & Verbo oritur Oratio certa, quæ Enunciatio dicitur, ut ignis urit: atque tum Nomen dicitur subiectum & verbum prædicatum.

XIV. *Nomen* autē ut & *verbum* hic tam strictè nō sumuntur: sed quemadmodum in Grammatica constructione interdum integra oratio infinitiva pro Nomine sive nominativo ponitur, sic quoq; hic interdum *Nomen* circumscribitur: ut etiam cum copula EST *Nomen* grammaticum pro verbo ponitur: ut *Omnes lineæ rectæ à centro ad circumferentiam ductæ sunt æquales*

XV. Est ergo Enunciatio Oratio, qua aliquid de aliquo vel affirmatur vel, negatur, ad verum aut falsum indicandum.

XVI. Est aut *simplex* aut *composita*,

XVII. *Simplex*, quæ & *Categorica*, est Enunciatio, aliquid de aliquo simpliciter & sine ulla cōditione affirmans vel negans, ut *planta vivit, planta non vivit*.

XVIII. Hæc rursus est duplex: vel *Pura* vel *modificata*.

XIX. *Pura* est, quæ modo vacat: eaque multifariam dividitur.

XX. *Primum* est vel *affirmans*, quæ aliquid dicit de aliquo: vel *Negans*, quæ aliquid removet ab aliquo.

XXI. Tunc autem censetur Enunciatio negans, cum negatio est addita copulæ, ut: *Aliquis homo non est doctus*, vel notæ quantitatis, ut *Nullus avarus est dives*.

XXII. Deinde Enunciatio est vel *Vniversalis*, vel *Particularis*.

XXIII. *Vniversalis* est, quæ notam universalem additam habet: ut *Omnia quæ generantur, corrumpuntur*: *Particularis* est, quæ particulari nota determinatur: ut, *Aliquæ arbores non defrondesunt*.

XXIV. Notæ universalitatis sunt, *Omnis*, *Nullus*, *Quicumque*, *Particularitatis*. *Aliquis*, *Quidam*, *Non omnis*.

XXV. Dantur & singulares Enunciationes, quæ plerunque particularibus accenseri solent: interim revera particulares non sunt: sed sæpius universalibus sunt similes: ut in Syllogismis singularibus: ut *Octavius est heres Cesaris*.

XXVI. Quando verò nulla Quantitatis nota addita fuerit, Enunciatio erit indefinita, ut: *Homo ambulat.*

XXVII. Tertio, Enunciatio aut est *Finita* aut *indefinita*. *Finita* est; quæ habet subjectum & attributum finitum: ut *homo est iustus*: *Indefinita* est, cujus subjectum, aut prædicatum, aut utrunque est infinitum: ut 1. *Non homo est iustus*: 2. *Homo est non iustus*. 3. *Non homo est non iustus*.

XXVIII. *Modificata* seu modalis Enunciatio est, quæ habet additum modum, eumque; vel *Necessitatis*: ut: *Neceffe est hominem esse animal*: vel *Impossibilitatis*, ut: *Impossibile est animam humanam corrumpi*: vel *contingentiæ*: ut, *contingit studiosum implicari pravo sodalizio*: vel *Possibilitatis*, ut *possibile est studiosum quantumvis bonum, seduci*

XXIX. Sunt adhuc plurimi modi: sed hi soli expriment, quomodo & quam rectè prædicatum conveniat subjecto.

XXX. Quæ hic disputantur à plerisque Logicis de modo, an à fronte, an in medio, an in fine locandus sit, nullius sunt momenti. Nam, quod illi ipsi inculcant, Modum juxta artem Logicam in fine ponendum esse, cum sit prædicatum falsissimum est, & dudum à nobis refutatum. Adsumam: Modus est determinatio copulæ, ideoque ad eam solam pertinet, atque sic neque subjectum neque prædicatum constituit.

XXXI. Ut autem de Modis in specie quid dicamus: 1. *Necessitas* aut est *absoluta*, ut est *necessitas definitionum*, & *necessitas attributorum propriorum*, quam necessitatem *Physicam* vocant: aut *secundum Quid?* quæ alias dicitur *necessitas hypothetica*, ut *Neceffe est pluere*, non quidem simpliciter, sed ad soli fertilitatem. *Necessaria est navis*, non absolute sed ad navigationem, ad insularum habitationem, ad commercium.

XXXII. *Impossibile* est, quod fieri non potest. Ac ut *neceffe est esse*, quod impossibile est non esse: sic *neceffe est non esse*, quod impossibile est esse.

XXXIV. Ut autem necessarium aliud absolutè aliud secundum quid dicitur: sic etiam aliud est impossibile ἀπλῶς, ut *Deum mentiri*, aliud secundum quid: sic impossibile est naturæ virginem fieri gravidam, non vero est ἀπλῶς impossibile: cum fieri possit, ut obumbratione Spiritus altissimi virgo sit gravis.

XXXV. *Contingens* plerunque sumunt pro possibile, hosque duos modos confundunt: qui tamen idem non sunt. *Contingens* ergo dicitur, quod est, sed poterat non esse: ut, *Contingit Octavium vincere pugnam Actiacam*: possibile verò est, quod non est, sed poterat esse aut potest fieri; aut certè si est ignoratur esse, ut *possibile est continentem Australem habitari*.

XXXVI. Adhuc de Enunciatione simplici, quæ & Categoricalis dicitur, de qua in genere sciendum; interdum duas Enunciationes in unam coalescere, quando nimirum sunt 1. duo subjecta, ut *Hannibal & Sertorius fuerunt Iusci*. 2. duo prædicata, ut *Christus mortuus est, & resurrexit*. 3. Duo subjecta & duo prædicata, ut *CHRISTVS & Ecclesia sunt ut sponsus & sponsa*.

XXXVII. Enunciationes compositæ sunt Hypotheticae aut disjunctivæ.

XXXVIII. Hypothetica sive conditionalis est, cui præfixa est particula conditionalis: ut, *Si Christus resurrexit à mortuis, & nos resurgemus*.

XXXIX. Ejusmodi Enunciationis prior pars vocatur *Antecedens*, posterior *Consequens*, & utraque peculiariter absolvit Enunciationem: unde rectè dicitur, ex duabus Enunciationibus composita: duo enim dantur subjecta, & duo prædicata, ut: *si sol occidit, tenebræ advenerunt*: hic prioris partis & enunciationis subjectum est *Sol*, prædicatum, *occidit*. Posterioris subjectum *tenebræ*, prædicatum *advenerunt*. Et tunc quoque dicimus esse duo subjecta,

com est unum quidem, sed bis sumtum: ut *si Christus surrexit: mortem vicit.*

L X. *Enunciatio disjunctiva* est, cujus membra adjecta particula disjunctiva, quasi divelluntur: ut, *Aut datur resurrectio mortuorum, aut spes nostra est inanis.*

XL I. Plures quidem Enunciationum dari possent species: sed quia plures Syllogismum non ingrediuntur, illis contenti sumus.

XL II. Cæterum Enunciationes quomodo inter se conveniant, & quomodo pugnent, operæ pretium est cognoscere.

XL III. Convenire dicimus istas, quæ possunt simul esse veræ: pugnare, quæ non possunt, sed sunt *ἀσύσταται*, ac ut vulgò dicitur, *incompatibiles.*

XL IIII. Pugna illa Logicè vocatur *Oppositio*, quæ quatuor fit modis: *Contrarie, subcontrariè, contradictoriè & indefinite.*

XL V. *Oppositio contraria* est duarum Enunciationum universalium, quarum altera affirmat, altera negat: ut *Omnes homines sunt Electi: Nulli homines sunt Electi.*

XL VI. Hæ nunquam sunt simul veræ: simul autem falsæ esse possunt, nempe in materia contingente: ut in exemplo allato,

XL VII. *Subcontraria oppositio* est duarum Enunciationum particularium, quarum altera affirmat, altera negat: ut, *Quidam homines sunt Electi; Quidam homines non sunt Electi.*

XL VIII. Hæ nunquam sunt simul falsæ, sed simul veræ

veræ esse possunt, etiam in materia contingente, ut in exemplo dato.

XLIX. *Subcontrariæ* autem dicuntur istæ Enunciationes: quia sub duabus universalibus continentur. Hinc quando contrariæ sunt simul falsæ: tum subcontrariæ sunt simul veræ: quando verò ibi altera est vera altera est falsa: ut *Omnis homo est animal. Nullus homo est animal*; tunc & hic altera vera, altera falsa est: ut *Quidam homo est animal. Quidam homo non est animal.*

L. *Contradictoria oppositio* est duarum Enunciationum, & quantitate & qualitate pugnantium: hoc est, quarum vel altera est universalis affirmativa & altera particularis negativa: ut *Omnes homines sunt electi: Quidam homines non sunt electi*: vel altera est universalis negativa, & altera particularis affirmativa, ut: *Nulli homines sunt electi, Quidam homines sunt electi.*

LI. Harum semper altera vera, altera falsa est: præcipuè in præteritis & præsentibus, nec non in futuris necessarijs, in quibus unum contradicentium determinatè verum est: At in futuris contingentibus, ut non vera datur (quatenus in mente nostra considerantur, scientiâq; nostra mensurantur) contradictio, ita neque *αὐτὸς ἡμᾶς* accuratè dividitur verum à falso: cum ita neutrum sit determinatè verum, sed indeterminatè, nempe si partes contradictionis simul accipiantur: ut simpliciter verum non est: *futurum ut cras pluat, nec etiam ut non pluat*: Sed verum est simpliciter ac necessarium: *fore, ut cras aut pluat, aut non pluat.*

LII. Ad naturam contradicentium accedunt & revocantur, quæ singulariter opponuntur, ut *Alexander vicit Darium: Alexander non vicit Darium.* Harum enim altera necessario vera, alia necessario falsa.

LIII. *Indefinitè opposita* sunt, quæ notam quantitatis additam non habent, ut *Homines sunt electi: Homines non sunt electi: Homines sunt mortales, Homines non sunt mortales.*

LIIII. In materia itaque contingente æquipollent

A 3


sub-

Subcontrarijs: ut in exemplo priori: in necessaria contrarijs, ut in posteriori exemplo. Interim omnes sunt subcontrarijs propinquiores. Omnes enim Enunciationes sine nota quantitatis præsumimus particulares esse: cum eo modo nunquam decipiamur. Atque hæc quoque est ratio, quod Aristoteles indefinitas neget contrarias.

L V. In omnibus hæc oppositionibus regula est observanda & tenenda: *oppositio fiat eodem modo, & respectu, iisdemq; partibus eodemq; tempore.* Ut opposita non sunt: *Appius erat cæcus: Appius non erat cæcus:* si illic de corporis oculis, hic de mentis oculo, prudentia, intelligatur: sic opposita non sunt: *Vitis est oculata: Vitis nõ est oculata.* Debet enim vitari homonymia tam subiecti quàm prædicati: Sed de his pluribus in fallacijs: *Atque adhuc de Enunciationibus.*

F I N I S.





Virtute ac eruditione con-
spicuo Iuveni

Dn. Johanni Schwägeru Villaco-Carinthio
amico suo singulariter dilecto de Enunciationi-
bus Logicè disputanti.

A *Vrum, quod caesis textit natura latebris,
Eruere, est homini res operosa satis.
At Verum ex puteo dextrè proferre sepultum,
Fertur ubi à doctis, res operosa magis.
Huc sed, Jane, tua spectant conamina mentis,
Dum Logicâ ingenium percolis arte tuum.
Quâ duce Cimmerijs tenebris vera eruta veris
Jungere & à falsis vera secare studes.
Quin & pro Vero Sophia in fera monstra sophistas
Pierio intrepidus praelia more paras.
Magna pol inceptas & carmine digna celebri;
Hac indefesso persequere usq; pede.
Siste nec ante tuos claro hoc in tramite gressus,
Vertice quàm serias sidera celsa tuo.*

Sincerioris affectus ergò F.

NICOLAUS OTHONIS
Stadâ.-Saxo.





06 A 970

ULB Halle 3
004 545 079




56

10-17








B.I.G.

Farbkarte #13



6 33

Curfus Philosophici

DISPUTATIO VI.

De

ENUNCIATIO.

NIBUS

PROPOSITA

In Alma VVitebergenfi Aca-
demia

PRÆSIDE

Dn. IACOBO MARTINI;

Profess. Log. & Phil. Pract Publ.

Respondente

JOANNE SCHVVÆGERO

Villaco-Carinthio.

*Ad diem 3. Januarij, loco &
horis consuetis.*



VVITEBERGÆ

Typis Johannis Gormanni, Anno 1616.

